

infantiæ fundamentum. Hoc enim Catharorum erroris caput maximè sunt amplexi Donatistæ, ad eò vt Epiphanius eos cum Nouatianis eosdem faciat. Addit Theodoretus libro 3. hæret. fabul. eos quoque in eo ab orthodoxis diuersos fuisse, quòd in baptizando chrisma ex more iam tum in Ecclesiis recepto non adhiberent. Et certè ex Fabiani episcopi Romani actis & vita discimus magnum iam fuisse chrismatis in baptismis vsum, quando ille ipse præcepit quotannis confici, vetuit autem comburi. & est in Can. literis. De consecrat. dist. 3. Idè apparet ex Tertulliani scriptis. Sed quo Scripturæ fundamento Patres chrisma in baptizando, quæso, sanxerunt?

CAP. XXXIX.

Angelicorum hæresis quid docuerit.

Angelici, in Angelorum² cultu inclinasti, quos Epiphanius iam omnino defecisse testatur.

(*Angelici.*) Dicuntur Ἀγγελικοί Græcè, in cuius vocis etymo perquirendo cur laboret Epiphanius, non video. Ἀπὸ τῆς ἀγγέλων denominantur, quorum se cultores exhibent: non autem ab Ingilino, quem Mesopotamiæ vicum esse scribit, sed nec ab Ingænonū populorum appellatione. Hæc autem hæresis quam statim extincta fuerit cum ipso Angelicorum nomine, pauca de ea scribi possunt. Nec enim huius meminit Theodoretus, nec Eusebius, nec tota historia Ecclesiastica: quanquã Simonianorū, Caianorum, Archonticorum, à quibus

bus